



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Antoninus M. 2. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Vendere patrimonia & dare pauperibus stultitia huic
 saculo, sed sapientia DEO est. Ut contra divitiis incu-
 rare, pecuniam fœnore augere, terminos dilatare violen-
 tiâ, industria & questus apud sæculū, sed apud DEVM
 timen & pœna est. S. Paulin. epist. 2.

S. ANTONINUS M. 2. Septembris.

Poterat ANTONINVS è Galliis oriundus sorte
 suâ contentus nobilem & in digitis anulum &
 in pedibus lunulam jactare, sed nimum quantum
 ambitiosus purpuram insuper ausus est sperare,
 quam ut cælum illi lubentius pingeret, non dubi-
 tavit, ostro deficiente, sanguinem promittere. In-
 credibile enim dictu est, quàm inde à puero pro
 Christo hunc fundere gestierit. Et verò non pas-
 sus repulsam est, æternâ præsertim virginitate
 candidatus: sed sacerdotio initiatus cum baculi
 ictu populis ad Christiana sacra adductis undas
 dedisset, ipse altero, sed gladii, ictu promissum diu-
 tiororem dedit, utque hic copiosior flueret, corpus
 in partes sectum, partes in aquas sparsæ. Sed præ-
 clarum ostrum, martyris inquam sanguis omnis in
 undis officiosus coivit; ipsæ undæ ut ne tumulo
 ANTONINVM prohiberent, penitus abcessere.
 Nam caput nobile volucres cæli mentes aquilas
 nudæ, naviculâ ad Principis Festi, quem Christo
 martyr pepererat, regiam usque, secundo flumine,
 deduxerunt. At Festus Divi ædes templum & ca-
 pis sacri monumentum esse iussit. Nos etiam pro
 merito ANTONINVM laudaremus, si vel unam il-
 le, de quibus diximus, volucres pennam dedis-
 set. Ex Mombritio & Petro de Natalibus.

Noli contemnere plebejum, quia nobilis es, noli despi-
 cere servum, quia potens es; noli pauperem fastidire,
 quia

quia dives es: nunquid nobilior, nunquid potentior, nunquid ditior es Christo? ille pro te illa, qua tu despicias, elegit. S. Ambros. super Psalm. Beati.

S. AIGULPHUS MART. 3. Septembris.

Humiles cunas AIGVLPHVS magnis virtutibus nobilitavit, monachus primò Floriacensis, tum Abbas Lirinensis factus. Unus certè dignus à Deo habitus est, qui, somno monitore, opima illa spolia (ossa D. Benedicti) Cassino in Gallias asportaret. Cæterum invidia Arcadium quendam, & suo minimè dignum nomine Columbum, (Pseudomonachum utrumque) excivit, qui virum & monasterio & vitâ ejicerent. Excepit AIGVLPHVS amico convivio hostes, & cæsus atque in vincula datus, licet ab ipso custode ad fugiendum animaretur, turpi fugæ gloriosum carcerem prætulit. Inde captivus cum suis abductus, cum tempestate diebus XL. jactarentur, solus portum sibi petere visus est. Et petebat, sed beatitatis; quam quia jam unam & animo spirabant & ore loquebantur, linguam Columbus primò jussit præscindi, tum omnibus radicitus evelli. Etiam tum disertè loquentibus laudes DEO, quin AIGVLPHO ad concionem mirâ facundiâ dicenti erui etiam oculos mandavit, gratulatuos puto sibi, quòd abhinc monstrum hoc, tyrannum monachū visuri non essent. Ad extremū in insulam ejecti gladioque sunt cæsi. Ne tamen improbitas ob successus sibi plauderet, adfuit in somnis Columbo ipse AIGVLPHVS, & sanguinis sui guttâ in scelerati pectore ac tergo geminos circulos descripsit. Ex his supplici unum duntaxat reliquit, certissimum mortis omen, quâ Rex Clodoveus meritissimum affecit. Nam ut

omnes